CAPITIS X.

Argumentum, partitio, analyſis.

HActenus apoſtolus de publico idolothytorum eſu quaſi de re libera συγχωρήσει quadam diſputavit, docuitque causâ infirmorum, ne hos ſcandalo vaſtemus, etiam à licitis abſtinendum eſſe: idque ſua abſtinentia à rebus ſibi licitis prolixè confirmavit. Nunc propius rem premens, oſtendit idolothyta minimè eſſe rem indifferentem, ſed per ſe impiam & fugiendam: quia idolothytis veſci ſit idolis atque diabolis communicare, peccatum haud diſſimile idololatriæ Iſraelitarum, quorum proinde exemplo ut ſibi caveant eos hortatur. Poſtea de emtione *& eſu privato immolatarum carnium, quatenus liceat, & non liceat reſpondet: Totumq; argumentum hoc generali hortatione, ut in cibo, potu, omnibusq; vitæ actionibus gloriam Dei, & proximi ſalutem in oculis habeant, concludit.*

Partes capitis ſunt tres.

PRIMA ad verſum 23. eſt gravis dehortatio ab impiis gulæ illecebris atque idolorum epulis. Cujus *propoſitio* eadem quæ hactenus fuit triũ capitum generalis: Epulas idolorum debetis fugere: Continetur ver.20. *Nolim autem vos communicare:* Et ver. 21. *Non poteſtis*, &c. Argumenta dehortatoria ſunt tria potiſſimum. *Primum* eſt ductum à genere facti. Idololatriam debetis fugere. Participare epulis idolorum eſt idololatria. Ergò debetis fugere. *Majorem* ponit ver.7. *Ne igitur ſitis idololatræ*, &c. & ver.14. *Fugite ab idololatria*, &c. Hanc *primum* probat, *deinde* amplificat. *Probatio* eſt ab effectu pernicioſo, quia Deus eam horribiliter averſatur & punit. Eam proponit in hypotheſi ſeu exemplo Iſraelitarum, quos propter i-

A dololatriam Deus eſt averſatus & proſtravit in deſerto *ver.5.* Propter quod Deus non approbavit, ſed proſtravit Iſraelitas in deſerto, id vos debetis fugere. Propter idololatriam Deus non approbavit, ſed proſtravit Iſraelitas in deſerto. Eam igitur debetis fugere. *Aſſumtionem* ponit *ver.5.* ac munit gemina prolepſi, ne cogitent ad ſe non pertinere exemplum. Vnam præmittit à pari occupans objectionem: Alia illorum & noſtra ratio: Nos baptizati ſumus, ſacra Synaxi

B fruimur: Illi non item. *Reſpondet* paria nobiſcum eos ſigna gratiæ habuiſſe: baptiſmum in nube & mari *ver.1.2.* euchariſtiam in manna & petra, cibo & potu ſpirituali *ver.3.4.* *Ratio* à re ſignificata eadem: quia petra fuerit Chriſtus *ver.4.* Alteram prolepſin ſubjicit: Fuerunt typi noſtri: nempe in peccatis & pœnis. Ergò exemplum ad nos pertinet, ne ſimilia faciamus & patiamur, *ver.6.* *Hæc autem typi noſtri*, &c. Hactenus probatio

Majoris